



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

Præsentatio B. Mariæ V. 21. Novembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

sturum. Tum denique se extincto totam hereditatem adiret. Inter spolia Numinis iram etiam, & vindictam reperturum.

His in majores jam iras versus Iugar captum non regiis catenis oneravit; flagris deinde servilem in modum acceptum, scopum esse militum sagittis iussit; demum caput auferri, aliter à coelo jam coronandum. Porro hoc feris in pabulum inter dumeta abjectum præclarus jam denique custos lupus tutatus est, & cum caput suâ voce sequærentibus prodidisset, etiam funus mœsto ululatu profecutus scribitur. Tyranno in lupum abeunte, lupum in hominem rediisse dixisses. Sed & caput corpori suo redditum integrumq; à tabo longè post repertum ajunt; quin barbæ capitisque pilos succrescentes quotannis detonsos esse. Et dubitabimus porro virtutem etiam post mortem vivere? *Ex Surio.*

PRÆSENTATIO B. MARIE V.
21. Novembris.

HEus! ad spectaculum hodiernum, Homnes vos in orbe parentes voco, liberos omnes. Ne dubitate oculos adferre, cum, ut hos pascant, effundere se cælo & convolare Superos videam, videam arridere, acclamare audiam. Ecce TRIMVLA VIRGVNCVLA, Iudææ delictum, patris & matris amor, spes
Sf 3 fami-

familiæ unica, unica fessæ ætatis virga, hæc inquam talis ac tanta è parentum sinu & brachiis non ad Veneris alicujus gynæceum, non ad nuptias, quas cuius promittere amant patres, sed ad castissima vota, ad templi adyta depererat, evolatque ad aram, ipsa mox templum, ipsa Numinis ara futura. Assentiuntur intereà Ioachimus & Anna & filia sibi que plaudunt. Quid hæc nostra ætas? Nimirum pereat flos virgineus, ne stirps avita: intereat pudor, ne familia. Lacrimentur Angeli, modò nepotes rideant: Sit vacuum incolis cælum, modò domus non hereditibus. Si quid pulchrum in liberis, si quid ingenuum & liberale, aulae hoc debetur genio, mundi servitio mancipatur & carnis amplexibus. At si quid monstri nascitur, illud demum, ajunt, in claustra religiosa (desertas insulas cogita) exportetur. Si quid bardum, blasum, luscum, claudum, hoc hoc cella occultetur, silentio monastico corrigatur, cucullo abscondatur, togâ involvatur. Deus sibi habeat, quod nemo hominum velit. Christus domum ducat, quas thalamo omnes terræ filii excludunt. Erubescite parentes, & ruborem vestrum in speculo, in vultu Ioachimi & Annæ hodie corrigite.